

einmal verzehlt 4. III. 1915

Siffert. theol. Vol. 35

~~III-15~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
VI-15.
SIGNAT. CLIXCCCXIII.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18.

2. B. V

70

73

AUSPICIIS RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI PRINCIPIS REGI
DN. FRIDERICI AVGVSTI
ELECTOR. SAXON. HEREDIS
ETC. ETC. ETC

DE

PASTORE
AEGYPTIIS
INVISO

ex Genes. Cap. XLVI, Commat. 34.

PRAESIDE

M. JO. ADOLPHO MULLERO

Serveftano

DISSERTATIONE PHILOLOGICA SECUNDA

publice differet

CHRISTIANUS HAUSCHILD

Schneebergens. Phil. et SS. Theol. Cultor

AD DIEM XXI. DECEMBR.

A. R. S. c1o 19CCXV.

VITEMBERGÆ, PRELO SCHROEDERIANO

77
D. N.

AUSPICIS RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS

DR. FRIDERICI AVGVSTII

PHILOSOPHI, THEOLOGICI, JURISCONSULTI
ET HISTORICI

DE

PASTORIS

AEgyptii

et

de

ADOLESCENTIA MILITARIA

et

de

de

de

de





Xpensis ante, quae de inueterato
 Aegyptiorum, aduersus pastores,
 odio reperiuntur, sententiis, in-
 stituti postulat ratio, ut nostram
 denique, quo decet ordine, ex-
 plicemus. Id ipsum uero arbi-
 tramur, fieri non posse accom-
 modatius, quam, si occasione pri-
 mum attendamus, afferendo huic nostro effato suppe-
 ditatae. Reuocanda huc ea sunt omnia, quae capitibus,
 XLII, XLIII, XLIV, XLV, de annonae, in terra Cha-
 naan, caritate : de suscepto, hanc ob causam, Aegy-
 ptum uersus itinere duplici filiorum Iacobi : de pietate
 Iosephi, cum fratribus, uno et item altero, quod ipse
 finxerat, periculo suae quondam perfidiae admonitis,
 ortum suum libere profiteretur: de muneribus, patri do-
 mum missis, amantissime praeterea cum omnibus suis
 in Aegyptum arcesso, exponit auctor Geneseos, no-
 tiora cuius, quam, ut a nobis fusius debeant enarrari.
 Illud praetereundum non est, oraculi nostri uerba, cum
 superioribus arctissimo uinculo coniuncta, ab Iosepho
 non sine causa, prolata uideri in sinibus Aegypti, terra
 Gosen, quorsum aduentanti cum familia patri obuiam
 properabat. Nunciauerat enim aduentum suum, per
 Iudam, filium, pater, ne discrimen adiret fortunarum,
 uel uitae ipsius, si uel incio, uel inuito Rege, habitan-
 di quenquam deligeret locum. Aduocato igitur in con-
 siliium Iosepho, Aegypti Pro-Rege, tutius omnia se fa-
 cturum, cogitabat. Nec spes eum fefellit. Accersitus Je-
 nim

nim patri recipiebat filius, se cum Pharaone de aduentu ipsius, &, qui cum eo erant, omnium, commorandi item loco, acturum, eidemque de uitae ipsorum genere percontanti, pecorum pastores esse, commeatus frumentique inopia e Chananaea discedere coactos, responsum. Hoc modo fore, ut ipsius deprecatione inclinatus, in terra Gosen, pascuis maxime celebri, nec procul ab sede Regia, dissita, habitandi faciat potestatem. Causam uero, cur hunc praecipue, in Aegypto extrema, nec media potius, degendi locum petant, uerbis, quae sequuntur, exponit, e contextu, tum Authentico, tum Versionum praecipuarum, in hunc locum translatis :

Genes. Cap. XLVI, 34.

Text. Hebr.

כי תועבת מצרים כל רעה צאן :

Targum Onkelos.

ארי-מרחקין מצרים כל רעו ענא :

Syrus

כל רעה בעמלק איש לא ידע
כל רעה בעמלק איש לא ידע

Arabs

قون المصراعين في دقرون كل راعي
شعير

LXX Interpret.

ἐδελύγμαι γὰρ ἐστὼ Αἴγυπτιοῖς πᾶς ποιμὴν βοσβάτων.

Vulgat.

Quia detestantur Aegyptii omnes pastores ovium.

s.ii.u

II.

Ut ordinem interpretandi sequamur, quem postulat ordo cogitandi, Arabi, Chaldaeo, Vulgato, Interpretibus, diligenter seruatum, a uocabulo מצרים ordiendum nobis, putamus, ad reliqua deinceps, Philologorum more, progressuris. Tulit uero hoc nomen suum Aegyptiorum, a Misraimo quodam, Chami filio, Gen. X, 13, quem Aegyptiorum constat parentem extitisse. Ita enim apud Eusebium, Praep. Evang. I. IX, p. 250. edit. Robert. Steph. τέτρα (χαναδῶν) δὲ καὶ γενέσθαι υἱὸν, ἂν ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων λέγεσθαι Ἀσβολοῦ, πατέρα δὲ Αἰθιοπίων, ἀδελφὸν δὲ τοῦ Μεσραίμου, πατέρα Αἰγυπτίων, uel potius, ut *Bochartus* emendatius legit, πατὴρ Αἰγυπτίων. Unde & Aegypti incolas Mesraeos, ipsamque terram Mesraeam a ueteribus appellari, *Iosepho*, Antiquit. l. I, c. 7. *Syncello*, Chronograph. p. 38. testibus edocemur. Neque tamen *Bocharti* coniectura negligenda uidetur, qua Phaleg Lib. IV, c. 24. מצרים a מצור, quod munitam urbem, & quandoque ipsam Aegyptum, ut *Esai*. XIX, 6. *Mich.* c. VII, 12. *II. Reg.* XIX, 24. indicat, deducendum arbitratur, propterea, quod & Formationis Analogia, qua *Cholem* quoque in Nominibus corripitur interdum *Celeb.* *Danzius* obseruat, Literat. Ebr. §. 22. Memb. III. id ferat, & notio in extremam illam Africae partem apprime conveniat, tantis a natura munimentis, aduersus hostem, undique instructam, quanta uix ulla terrarum orbis regio. Habet enim, quod *Diodorus* testatur, Lib. I, p. 18. occasum uersus, desertum inaccessum, a meridie Nili Catarractas, & montes Aethiopiae, ab ortu solis, pariter eremum & barathra, & paludem Serbonidis, a septentrionibus, mare importuosum, cum ab Ioppe Phoeniciae, usque ad Paraetonium Libyae, nullus sit portus, praeter Pharum. Tandem subiicit: ἢ μὲν ἐν Αἴ-

ἐν Αἴγυπτο πανταχόθεν ἀγρότοποι. *Convenienter admo-*
dum Strabo Lib. XVI, iam inde, inquit, ab initio Egy-
ptus fuit ualde pacata, διὰ τὸ ἀνταρξίς τῆς χόρας, ἢ τὸ
δύσειβόλον τοῖς ἔξωθεν. Conf. Io. Clericus, Nott. in Indic.
 Geograph. *Sanson. & Jac. Perizonius, de Orig. Egypt. c. I, p.*
 6. At nihil haec superiori, quae plerisque recepta est, origi-
 nationi officiant, utut *Bochartus* loc. cit. cum eoque *Io.*
Clericus loc. cit. hominis nomen esse מצרים propterea
 negent, quod numerus duorum, cuius hic apparet Termi-
 natio, id non permittat. E pluribus, quae in S. Codice extant,
 eiusdem & Numeri & notiois Nominibus, uel haec duo,
 omnium consensu, hominum propria, מצרים Gen.
 XLVIII, 13. quod Iosephi filium, & מצרים, i. Paral. II,
 30, 31, quod Nadabi filium notat, contrarium euidenter
 ostendunt. Merito itaque suo *Bochartum* ab *Hadriano*
Relando haut ita pridem refutatam legimus, *Palaestin.*
Lib. I, c. XI, p. 64, 65. Fieri enim, ut sagaciter con-
 iicit *Cellarius*, *Geogr. Antiqu. Lib. IV, c. I.* perfacile
 poruit, ut *Chamus* altera iam prole, & duplici adeo fam-
 iliae, ac nominis, ad posteros transmittendi, munimen-
 to laetus, *Misraimi* nomine filiolum appellari uoluerit.
Leusdenio, Leighio, Robertsonio, aliis, qui מצרים, *angustia*,
Radici, nunc מצרים, *arctum esse, coarctari*, nunc מצרים *ar-*
ctare, angustiis afficere, uocem nostram ducunt, ha-
 stenus non refragamur, cum & ipsa angusta fuerit *Ae-*
gyptus, & auctore *Plinio*, lib. V, c. 9, a mari, ad *Aethiopiae*
fines in longitudinem quingenta octoginta quinque; in
latitudinem uero, aliquot tantum, passuum millia pro-
 tensa: nisi, quod *Formationis Analogiae* parum conue-
 nire uidetur. Omnium quidem commodissime ex
 מצרים, *figuratus*, *Cl. Hillerus* originem repetit: dubium
 tamen est, utrum uocabuli uis ac notio regioni satis
 con-

congruat. Vocabulum autem, Ægyptus, non ab *dryas πρῶτον*, i. e. capras pinguefacere, neque, ex *ἀία* terra & *γῆ*, i. e. *κόπος*, quasi terra Coptorum diceretur, quod Cl. *Hillero* placet, sed a trito Graecis *γῆ, ἀγύψ*, & *ἀγυμῖς*, quod uulturem notat, fusci coloris auem, interposita saltem litera *τ*, repetendum esse, copiose non minus, quam erudite docuit loc. cit. *Perizonius*. Reliqua huius regionis nomina nihil attinet hoc loco pluribus explicare, quando suo quemque sensu, in hoc negotio, facile abundare patimur. Nostra refert, intellexisse, terram hanc suum apud Hebraeos nomen *Misraimo* acceptum referre.

III.

Ceterum, cum duplex passim scriptoribus, *Sozom.* l. II, c. 23. *Orosio* lib. I, c. 2. aliis, celebretur Ægyptus, Inferior una, altera Superior, *Tob.* c. VIII, 3, distingvendi ratione, nec uetustioribus incognita: apparet luculenter, percommode uocabulum *מצרים* eidem fuisse attributum. Initium uero capit Inferior a mari Mediterraneo, ea praecipue parte, qua peruulgata septem Nili ostia excipit, quorum unum, idque extremum, orientem uersus a *Pelusio*: alterum extremum, huic oppositum ab urbe *Heraclea*, mari coniungitur. Utriusque distantia brachii, qua maris oram longissima, paulatim ascendenti breuior, per modum Trianguli, cuius crura *Basi* insistant, citra *Memphim*, fastigium tandem assequitur, *Delta* ob id Graecis, Ægyptiis *Rib*, uocabulo, Hebraeorum *רהב* *Ps.* LXXXVII, 4, parum dissimili, appellata. Vid. *Boch.* l. c. Adiacent huic *Delta*, ab utroque latere, dittonis Ægyptiae urbes ac *Nomi*, tum qua ortum, ut *Casiotis*, a monte quondam appellata, tum qua occasum spectant *Solis*, uelut *Mareotis* & *Alexandria*, quorum de situ ac

im-

imperio *Strabo* & *Plinius*. c. non consentiunt, nec e re fuerit nostra pluribus haec inuestigare. Unum ex his Nomon, Taniten, nominamus, idcirco, quod urbem uetustissimam, utpote septennio post Hebronem, Num. c. XIII, 22. conditam, Tanin, regiam olim Pharaonum sedem, ut erudite ac solide *Bochartus* epist. ad *Sant' amantium*, demonstrat, complectitur, editis per Mosen miraculis, celebrem, nec a terra Gosen, ubi habitarunt Hebraei, admodum remotam. Quamobrem Hebraicum טַנִּין , Num. XIII, 22. Es. XIX, 11, 13, Psalm. LXXXVIII, 13, 14. non modo Chaldaei, LXX Interpretes & Vulgatus, magno consensu, per Tanin, sua quisque lingua reddunt, uerum etiam situm terrae Gosen, exerto quasi digito, describunt, cum uerba Gen. XLV, 10. & XLVI, 34. $\text{יְצֵא יַעֲקֹב אֶתְּ בְנֵי יִשְׂרָאֵל מִן אֶרֶץ מִצְרָיִם$ transferunt cum *περιφερόμεν, ἐν γῆ Γοσέμ Ἀραβίας*. Quod tamen ipsum, non de Nomo Arabico, Tanitae, uersus orientem, parallelo, sed de tractu inter Nilum & Sinum Arabicum interiecto, intelligi oportere, & Ioseph. l. II. Antiquit. c. IV. testatur, quando Iacobum cum familia ἐν Ἡλιεπόλει ait, agro uidelicet & regione, non urbe, habitare iussum, quod sapienter monet *Cellarius*, Geogr. Antiqu. l. IV, c. I.: & exitus Israelitarum ex Aegypto confirmat, ubi, facta ex Ramesse per Succoth, Etham, ad Phi-Hiroth itinere, tertiis statim castris, ad mare rubrum peruenerunt, breuiori certe temporis spatio, quam quo, uel ab urbe Heliopoli ad Sinum illum Arabicum, L circiter passuum millia, ut ratiocinatur *Ptolomaeus* Lib. IV, c. 5, uel ab Nomo illo Arabico, Chananaeae finitimo, longiorem multo tractum, cum omnibus copiis poterant emetiri.

IV.

Ad Superiorem Aegypti regionem Heptanomum cum

cum Thebaide plerique referunt Geographi, quarum
 prior, apud sacros nullum, apud profanos uero scripto-
 res mediae Ægypti, Arcadiæ item, nomen obtinet: po-
 sterior Pathros Es. XI, II. Ierem. XLIV, I. Ezech. XXIX,
 14, appellatur. Illa a uertice τῆ Delta oritur, & septem
 initio, postea plures ex utraque Nili ripa, Nomos com-
 plexa, Hermopoleos finibus continetur: hæc ab Her-
 mopoli, qua meridiem uergit, ad Syenem pertinet, Æ-
 thiopie finem ac initium Ægypti, urbem Tropico Can-
 cri subiectam, cujus incolae, Solstitii aestiui tempo-
 re, umbra destituti, ἀσυνος appellantur. Vid. *Plin.* l. II.
 c. 74. & *Salmas.* ad Solinum p. 298. Urbibus utraque
 frequens erat regio, neutra tamen alia, ac Memphi,
 Regum olim sede, celebrior, non Pharaonum illa quidem,
 ut *Augustino*, *Quaest.* 136. in *Genes. Gregorio Turonens.*,
Alcimo Auito, de Transitu Maris Rubr. placet, sed Me-
 nis, a quo, si *Diodorum* audiamus, tanquam conditore
 suo & ipsa nomen tulit, Tosarthri item, Tnepacti, Ni-
 tocreos, quorum priores duo universae Ægypto, poste-
 riores Memphitidi tantum, imperasse creduntur. Ali-
 am qui sequantur Ægypti diuidendae rationem, *Io. Luys*,
Geograph. Vet. & Nov. c. II, Sect. IV, p. 591. *Nico-*
laus Sansonius, *Indic. Geograph. Bonfrerius*, *Nott.* ad
 Hieronymi Loca, luculenter ostendunt. Nobis hoc lo-
 co Geographorum princeps *Strabo*, Lib. XVII. p. 544.
 sqq. *Ptolomaeus*, *Geograph.* l. IV, c. 5, Tab. III, &, qui
 scienter in eundem commentatus fuit, *Io. Anton. Maginus*,
 sequendi uidentur, utpote qui antiquam rerum faciem ob
 oculos lectori ponunt, nec *Herodoto* aduersa tradunt. U-
 tramque uero Ægyptum, hæctenus pro instituti ratione
 expositam, per nostrum מִצְרַיִם oportere intelligi, uo-
 cis non modo Terminatio, ex qua idem colligit *Bochar-*
tus, sed usus quoque per totam *Genesin*, ratio item con-

fili, quo tempestiue fratres instruebat Iosephus, Historiae denique Aegyptiacae, per singulos Nomos, ac Versionum, quas adduximus, praecipuarum collatio, euidenter demonstrant, ne dicam, exposcunt.

V.

Postulat ordo, ut de uoce תועבה, quod in *Statu Constructo* hic legitur, Aegyptiorumque aduersus pastores animum designat, uideamus. Originem id suam ducit a תעב, in *Kal minus*, at in Piel, *auer sandi, abhorrendi, abominandique* notione, tanta cum ἐμφασει, uisitato, ut, cui, vel *Personae*, uel rei, ea uox tribuatur, eam neque uisu, nec auditu, neque gustu, nec olfactu tactuue quis dignetur, prout ab Lexicographis *Castello, Foerstero, Robertsonio, Mercero, Schindlero*, aliis, praecclare fuit obseruatum. Ita in Iobi, de perfidia querentis amicorum, uerbis habetur, c. XIX, 19. תועבתי, *abominati sunt me omnes familiares mei*, ubi uerbi huius uim ipse exprimit, ἐπεξήγησεν statim addita: *Et quos dilexi, uersi sunt in me*, i. e. indignum me putant aditu & aspectu suo, quorsum & cap. XXX, 10. conferri meretur. Nec minus a Dauide Sanctissimo Numini tribuitur, quod corrupti moris homines, tanto persequatur odio, ut gratioso eos aspectu minime dignetur. Quare, per Gradationem exposita Numinis displicentia & odio, tandem subiicit Verbum, quo nihil ipsi uidebatur grauius: *Virum sanguinolentum & fraudulentum*, תועב, abominatur *Iehoua*. Psalm. V, 7. Ab eodem hoc Verbo תועבתי nostrum accessit, de cuius exquirenda notione eo minus uidetur laborandum, quo frequentius est, Deriuata Primitiuorum suorum retinere significationem, id quod exemplis, nou ita longe petendis, אכרה, *res perditae & omissa*, אהבה, *amor*, נבלה, *cadauer*, aliisque compluribus, si quidem id ageretur, poterat comprobari.

bari. Significat igitur actum uoluntatis eiusmodi, Affectum prudentes uocant, quo rem aliquam ingratham, obscoenam ac turpem, uehementius auersamur, siue, ut uno plerumque uerbo solet exprimi, abominamur. Hoc ipsum euincunt loca, quibus illusori, Prov. III, 32. iniustae mensurae, Prov. XI, 1. labio mendaci c. XII, 22. uiae impii c. XV, 9. idolis praeterea tribuitur gentilium, ob indicandam turpitudinem uitii summam, ac grauissimam Numinis auersationem, quod fit Ezech. c. VIII, 9. c. IX, 4. c. XIV, 6. & reliquis edocemur.

VI.

Nec interpretibus antiquissimis aliter uisum est, qui eiusmodi uoce, suo quisque idiomate, **רוֹעֵבָר** nostrum reddunt, quod minime omnium uenerationem aliquam, sed odium potius grauissimum, significanter admodum declarat. *Onkelos* enim suo **מְרַחֵקִין**, *reiciientes, abominantes*, nos docet, Aegyptiis pastorum genus, de quo differitur, adeo commendatum acceptumue non fuisse, ut eos e coetu suo plane relegatos uoluerint: cuiusmodi exemplum, eodem uocabulo expressum, legitur Es. LXVI, 5. ubi maleuolos Iudaeorum fratres Propheta **מַרְחִיקֵיכֶם מְנַדְּכֶם** uocat, *Chaldaeus* uero: **מְרַחֵקִין**, *separantes, reiciientes uos*. Eadem & Syro probatur sententia, uocem **ܩܪܝܘܢܐ** substituenti, quae a Radice **ܩܪܝܘܢܐ** deriuatur, ac *Trostitio & Schaasio* obseruantibus, *reiciendi, improbandi, spernendi*, notionem habet. Etenim Reprobationem & odium indicaturus Interpres quo Iudaei incensi aduersus Liberatorem nostrum tantopere fuerant, ut, nisi sanguine ipsius, placari sedarique non posset, eodem Act. IV, II. utitur uerbo, **ܩܪܝܘܢܐ ܩܪܝܘܢܐ ܩܪܝܘܢܐ ܩܪܝܘܢܐ**

B 2

Hic

Hic est lapis, quem reprobastis vos aedificatores, conf. comm. 10. De Arabis consensu dubitare non poterit, qui eiusdem لَوْنٌ ad originem reuocat ultimam, qua ut Golius in Radice لَوْنٌ Lex. col. 2026. obseruat, detestandi, fastidiendi, respuendi, abhorrendi, uim ostendit. Nec deducta ex eodem Nomina لَوْنٌ & لَوْنٌ , itemque لَوْنٌ , honoris quidquam, sed rem potius inuisam, id, quod per se molestum est, difficultatem, hominem inuisum, a quo quis abhorret, designant. Idem LXX. sentire Interpretes, non modo ipforum $\beta\delta\epsilon\lambda\omega\gamma\mu\alpha$, quod Suida ac Hesychio testibus, abhorrendi animum prae se fert, uerum etiam $\alpha\kappa\alpha\theta\alpha\zeta\sigma\iota\alpha$, Prov. XI, 16. c. XIV, 9. & Concretum $\alpha\iota\delta\iota\theta\alpha\zeta\tau\omicron$, c. III, 32. $\rho\omicron\nu\eta\epsilon\lambda\alpha$, c. XXVI, 25. $\alpha\nu\omicron\mu\iota\alpha$, Ezech. VIII, 9. c. IX, 4. $\alpha\sigma\epsilon\beta\epsilon\alpha$, c. XIV, 6. $\alpha\nu\omicron\mu\eta\mu\alpha$, c. XVI, 50. $\alpha\delta\iota\kappa\iota\alpha$, c. XVIII, 24. c. XX, 4. $\pi\lambda\acute{\alpha}\nu\eta\sigma\iota\varsigma$, c. XLIV, 13. fati euincunt, quippe quibus singulis תועבה, a Spiritu S. in Textu nostro adhibitum, circumspecte admodum conuertunt.

VII.

Causam itaque non uidemus, cur *R. Salomo*, cum eoque *Abarbanel* ac alii complures, hoc loco, aliquam metuendi & uenerandi notionem urgeant, exemplo idololatriae Ammoniticae freti, qua *Milcom*, תועבת בני-עמון, abominatio, uel, ex ipforum iententia, *Numen* filiorum Ammon dicitur. Iquidem si Loca Parallela, 1. Reg. XI, 5, 33. & rem ipsam respiciamus, interpretatio illa nihil uidetur habere incommodi, cum commat. 33. conceptis uerbis *Milcom*, אלהי בני-עמון, Deus filiorum Ammon appelletur. Ita namque de eodem *Aben Ezra* ad Leuitic. c. XVIII, 27, refert שם צלם ודרשו חז"ל, שהוא שם כלל כל מי שומלכנו עליו ונתכן שהוא תועבת בני עמון וסלת להעביר כמו לשרוף בני זאת



זאת היתה עבודתו ויא כי יעביר הכן על האש ויש
 מי שיחיה ויש מי שימות ואחרים פיבעבור שאין בפסוק
 זכר אש להעביר מתוררן השם לרת המולד :
 Conf. R. Salom. ad h. l. & Ialkut Simeon. ad Ierem. c.VII.
 fol. 97. col.1, ubi septem huic idolo sacella tribuit, de qui-
 bus tamen dubitat *Seldenus*, de Dis Syr. Syntagn. l. 1,
 c. 6. At enim uocis significationem ueram germanani-
 que ab eiusdem usu & accommodatione, siue, *Objecto*,
 cui tribuitur, oportere distingui, interpretandi legibus
 edocemur, quae praecipunt, ut illam demum, tanquam
 ueram propriamque uocis Deriuatae agnoscamus no-
 tionem, quae origini ipsius responderet. Id ipsum uel
 uno אלהים Nomine poterat constare, quod Idolis quo-
 que interdum tribuitur, cuiusmodi exemplum de Mil-
 com ante fuit allatum : nec tamen sculptile quid, uel
 idolum significat, cum germana sibi que propria notio-
 ne ex אלהים adorandum Numen declaret. Haec igitur si
 ad תועבתי nostrum transferamus, ex iis, quae modo
 docuimus, perspicuum fit, aliam ac auersandi, abhor-
 rendi, notionem, habita cum Originationis, tum usus
 perpetui ratione, attribui non posse.

VIII.

Quod ad רעו attinet, in Statu Constructo simi-
 liter usurpatum, pastorem alias hac uoce designari, o-
 mnibus inter se conuenit iuterpretibus, quando origi-
 nem eius ab רעו repetunt, Verbo, *pascendi se, uel a-*
lios, ui praedito. Nec obscurum esse potest, perdendi-
 ne, ut Psalm. XLIX, 15. an dominandi, Ier. XXIII, 1,2.
 ac docendi, cap. III, 15. coll. 1. Pet. V, 2, 3. notionem,
 tralatitiam tamen illam, hoc loco, obtineat, cum ex ap-
 posito צאן propria uocabulo uis luculenter sese prod-
 at. Significat enim, generatim quidem, haec uox omne pe-
 cus, siue, animalia, quae sub hominis imperio e pabu-

lo terrae pascuntur, siue maiora illa fuerint, siue minora. Quam in sententiam explicandus est Locus, 1. Sam. VIII, 17. ubi Samuel, Propheta, uaria Regis futuri in populum Israëliticum iura expositurus, **וְכָרְתִי**, inquit, LXX Interpp. τὰ ποίμνια ὑμῶν, Vulgat. *greges uestros*, addecimabit, i. e. de animalibus, tam maioribus quam minoribus, decimas, sibi uindicabit. Speciatim uero minuta tantum animalia significat, ut, *oues & capras*, Leuitic. I, 10: Et si de **וְכָרְתִי**, pecoribus fuerit oblatio eius, *de omnibus uel de capris*, in holocaustum: quo sensu **וְכָרְתִי**, quod maiora complectitur animalia, plerumque opponitur, prout Loco, Gen. XLV, 10. c. XLVI, 32, alia, perspicue testantur. Nostro quidem oraculo non tam posterior, quam prior illa, consentanea magis uideretur notio, cum absolute uox **וְכָרְתִי**, nec ad oppositum alioqui **וְכָרְתִי** relata, legatur. Quamuis enim non desint Codici S. loca, quibus uel absolute posita, ouium atque caprarum gregem nihilominus exponit, uelut, Gen. XXIX, 6, 8, 10. c. XXXI, 19: exiis tamen, quae antecedunt, uel sequuntur, uera Locoque, huic illius, propria notio, haur difficulter potest demonstrari. Pecus igitur huiusmodi, praesenti quidem loco intelligatur oportet, quod Iacobus secum ex terra Chanaan in Ægyptum deduxerat, cui pascendo pascua plane defecerant, tanta inter Chananaeos orta cibi frumentique inopia, ut, unde uiueretur, nihil suppetaret amplius, cuiusque ob usum Hebraei ab Ægyptiis magnopere sibi metuendum putarent. Cuiusmodi uero pecora secum Patriarcha duxerit, ex Iosephi uerbis, quibus patris cum omnibus copiis aduentum Pharaoni commendabat, elucet. Ingressus enim nunciabat Regi suo Iosephus: *Pater meus, & fratres וְכָרְתִי וְכָרְתִי, cum minoribus & maioribus suis pecoribus* aduentarunt. Ac utrumque deinceps genus uno **וְכָרְתִי** uocabulo fratres complectuntur, quando sui ad ipsum confugii causam Regi exponunt, cap. XLVII, 4. quia nihil uidelicet pascui suppetat **וְכָרְתִי**, pecori, quod ipsis erat. Quale autem fuerit, quae antecedunt proxime, satis demonstrant.

IX. Ni-

Nihil itaque dubitamus, quin eadem oraculi nostri uox, eodem quoque sensu, ex fine, auctori proposito, sit explicanda. Secus enim si existimetur, & per **אֵז** **אֵז**, ouium tantum atque caprarum intelligantur pastores, quod plerisque placet interpretibus, periculi subest metus, ne solas quoque oves caprasue pro sacris habitas animalibus, nec boues qui mactarent, praesertim feminas, odio aliquo infestatos ab Aegyptiis fuisse, perperam & contra Historiae fidem, sit existimandum. Causam quoque reddere poterimus difficilius, cur Aaron, ad effingendos Aegyptiorum Deos, magno populi impetu compulsus, aureum *uitulum*, uel, quod *Colomesius*, Obseruat. S. p. 133. manult, *bonem*, nec *ouem* potius, aut *capram* fabricauerit, si quidem huius tantum generis animalia diuino culta honore fuissent. Credibile praeterea non est, Iosephum, securitati suorum salutari consilio prouisurum, illa fratres cessasse animalia sacra, quae per omnes Aegypti Nomos praecipuo honore afficiebantur: quod tamen consequitur, si per **אֵז**, oves tantum caprasue, praeteritis bobus, indicari, arbitremur. Rectius, forsan, oraculi nostri consulatur sententiae, si, prout contextus exposcit, uocem istam generatim, ut alibi, accipiamus, ac non solum de ouibus caprisque, uerum de bobus quoque, interpretemur. Bouem enim feminam, utpote Hidi sacram ab omnibus omnino Aegyptiis religiose coli consueuisse, grauer testatur *Herodotus*, Euterp. p. 54. cum, **Θεός δὲ**, inquit, **ὁ** **τὰς αὐτὰς ἀπαντες ὁμοίως Αἰγύπτιοι σέβονταί, πλὴν ἰσῖός τε.** **καὶ ὁσείου,** **τὰς δὲ ὁμοίως ἀπαντες σέβονταί.** Parum nos Arabis **أَيْز**, uel Graecorum *προβάτων*, quae ouem significant, morantur, cum Syrus **אֵז**, & Onkelos **אֵז** sum, c. XLVII, 4, ubi in Textu Hebraeo **אֵז** reperitur, constanter seruent. Conuenientius multo & omnium optime rem tetigit B. Lutherus noster, quando **אֵז אֵז** lingua uernacula, non per *Schäfer* / ut alibi, sed, expensis circumspicte, quae & antecedunt, & sequuntur, reddidit

didit uocabulo, *Viehhirten*/ oues adeo bouesque sententia sua complexus. Quod uel eo nomine obseruatu uideretur necessarium, ut ratio pateat consilii, quo fratres iuuerat Iosephus, ne sacrorum Ægyptiacorum prorsus ignari, occiso forsan, quod Ægyptius, maxime *Tanitis*, sacrum sit, animali, perniciem sibi maximam attraherent ipsi.

X.

Id unum, in euoluendis uocum notionibus, expediendum restat, qui fiat, ut adhibita Uniuersalitat^ais nota, Ægyptius abominationi dicatur fuisse כל-רעה צאן, *omnis* pastor pecorum, cum Pharaonem norimus pastores non modo aluisse, sed de fratribus quoque Iosephi robustiores ut rei suae pecuariae praeficerentur, mandasse? Intellegendum autem est, Nomen Hebraeorum כל, quod perinde, ac Syrorum כל, uel Arabum كل, *uniuersalitatem*, significat, Chaldaeis quoque, *Onkeloso* & *Ionatani* diligenter hoc loco obseruatum, non simpliciter ubique, sed *pro subiecta* quandoque *materia*, accipiendum esse. Quam in sententiam Exod. c. IX, 6. mortuum dicitur *omne* pecus Ægypti, cum tamen, non quaeuis animalia, sed permulta extincta fuisse, illa uidelicet, quae in agris erant, ex comm. 3. & 19. appareat. Nec aliter intelligenda fuerint, quae de Adoramo i. Reg. XII, 18. commemorantur, eundem, cum Rehabeami, Regis licet, mandato missum, ab uniuersis Israelitis obrurum lapidibus fuisse, quandoquidem superiori proxime commate, conceptis traditur uerbis, Israelitas de tribu Judae, partibus studeuisse. Rehabeami, eiusque in se imperium agnouisse. In more namque positum legimus diuino Spiritui, ut generatim quaedam subinde proferat, speciatim, ac pro argumenti, quod exponitur, conditione, intelligenda, prout sapienter id ipsum obseruant *Flacius*, Part. II, Clav. Tract. IV. p. 381. *Glossus*, Philol. S. Lib. V, Tract. I, c. 14. *Noldius*, Concord. Particul. p. 419. pluribusque illustrant exemplis. Haec igitur illa Philologiae sanctioris adminicula in medium credimus allata fuisse, quae ad percipiendam non modo uerborum sententiam, uerum etiam ad inuestigandam quae sit nostri causam, factura maxime, adeoque praemittenda, uidebantur.

Aug VI 15

ULB Halle
003 865 746

3



Sb.


Reho

VD 77

KD 18

7





Q. B. V 70
AUSPICIIS RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI PRINCIPIS REGI 73
DN. FRIDERICI AVGVSTI
ELECTOR. SAXON. HEREDIS
ETC. ETC. ETC

DE
**PASTORE
AEGYPTIIS
INVISO**

ex Genes. Cap. XLVI, Commat. 34.

PRAESIDE

M. JO. ADOLPHO MULLERO

Serveſtano

DISSERTATIONE PHILOLOGICA SECVNDA

publice differet

CHRISTIANUS HAUSCHILD

Schnebergenf. Phil. et SS. Theol. Cultor

AD DIEM XXI. DECEMBR.

A. R. S. c 13 13CCXV.

VITEMBERGÆ, PRELO SCHROEDERIANO